



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 1. De probationibus in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

dam Iuris executio secundum *Innoc. in c. Ex parte 1. de verbor. signific. Mysing. Cent. 6 obs. 3. Gaill. l. 2. obs. 27.*

IV. Præterea non satis est, ut condemnatur reus, factum ipsum notorium & evidens esse cum alio & alio sine peragi queat, sed qualitates quoque & adiuncta cognoscenda sunt. Titius, ut exemplo declarem, Caium occidit. Notorium est, nec celari potest; obscurum tamen, an id coactus fecerit, an cum moderamine inculpatae tutelæ. De his ergo, & similibus cognoscendum est.

Sed pone, Iudicem ipsum, & solum vidisse. Non sufficere ea notitia ad iudicium publicum. Resp. enim eum in finē, & illa potestate nullum Iudicem insti-

tuit quidem, si nec Deū ne hominem Iudex revereatur, dicatque visum à se Petrum in furto. Paulum in adulterio, & sic in aliis, quid fiet? Te kis fortasse, Iudex nunquam agnosceretur. *Tholos. l. 4. c. 6. 9. n. 6.*

Excipiunt aliqui supremum Iudicem, qui etiam contra fidem actorum ex privata scientia condemnare, vel absolvere possit, cuius oppositum multis rationibus *Less. confirm. c. 29 d. II.* verum dato illo, quod rex conjugem ex. gr. quam privata scientia novit adulteram esse, è medio tollat, non tam ut Iudex illud, quam vindex ager, eo modo, quo privato cuiuslibet interdum permittitur executio. *V. Decianum l. 9. c. II. n. 19. Damhaud. c. 80.*



TITVLVS IV.

De Probationibus.

In innocentia ab insidiis, & fraudibus tutior esset contra malignas impetitiones & accusationes, iure sacro & profano sancitum est, ut positiones suas actor probaret, hoc est, Iudici fidem faceret, non à se ficta, comparataque, sed reapte confecta, vel Iuri conformia adferri; non se cupiditate aliqua transversum, sed boni rectique studio inductum movere litem, Iudicis fidem, & officium implorare. Unde probationum genera, modisque diversi constituti sunt, de quibus ordine agemus.

§. I.

De probationibus in genere.

PROBATIO est rei dubia per argumenta ostensio sic definitur generalis. Iudicialis autem est Demonstratio seu ostensio dictorum factorumque Iudici facienda, de causis apud illum dubiis cognoscendis *Azor in Rubr. C. eod.* Dicitur 1. Demonstratio latè vocem hanc accipiendò, non philosophicè, ut loco generis sit. 2. dictorum factorumque. Illa enim quæ juris sunt, nota Iudici esse præsumitur, adeoque non indigent

gent probatione: facta autem probanda sunt actori, quamvis ea pridem nosset Iudex. Alius enim est privatae personae respectus, alius publicae. Vnde etiam nota sibi cognoscere debet, ut Iudex. *c. de manifesta. c. si sacerdos. de off. ord.* Gerit enim personam publicam. *l. i. §. ius publicum de iust. & iure.* Neque secundum scientiam propriam statuit. *Glo. in §. pubertatem v. Ex habitu. Tit. quib. mod. iur. fin. Glo. in c. Dilecto v. Recusasti. de testib. sed secundum allegata, & probata. c. Iudicet 3. q. 7. c. submovere 11. q. 3. l. Rem non novem C. de iud. l. Nemo. c. de sent. & interloc. om. Iud. 3. dicitur Iudici faciendae, cuius nimirum officium est de momentis rationum, & argumentorum iudicare. l. quingenta. Tit. de probat. l. i. C. de condict. ob turp. caus. l. procurator C. de ed. ndo.*

Exemplum huius ab ipso Iuris summo auctore Deo habemus, qui quantum vis omnia nosset *Gen. 11. & 18.* Descendam, & videbo ait quae ponderans *Evaristus Papa in c. Deus omnipotens 2. q. 1.* Non ob aliud haec, ut alia multa, per se inquirere dignatus est, nisi ut nobis exemplum daret, ne praecipites in discutiendis & iudicandis negotiis effemus, & ne mala quorumque prius quisquam praesumat cedere quam probare. Si autem contingat ea proferri, quae Iudex falsa esse certo norit, non actori, sed conscientiae suae fidem habebit, monebitque de errore, & quoad potest, impediet effectum.

Licet etiam Iudici supplere allegationem juris omisiam, factum verò vel eius probationem nunquam supplebit. *l. uni. Tit. ut qua desunt adu. par. sed à litigantibus accipiet: idque cum delectu, ut ne*

cessaria & utilia admittat; non relevancia seponat. *l. ad probationem. C. de probationib. c. Cum contingat. de off. del. c. Dilecti. de except.* in quo ad libellum respiciet, ut secundum ipsius articulos, positiones & exceptiones partium probationes edantur. *c. significaverunt. de test.*

Coram illis praeterea, quorum interest, faciendae probatio est, in civilibus, nisi abesse malint: & regulariter post litem contestatam, cum proposita asserta & negata sunt, exceptis causis, de quibus in *tit. ut lite non contestata.* ubi videndus *Barb. in c. Quoniam frequenter.*

Denique additur *de causis dubiis.* Notoria enim probatione non indigent. *c. Evidentia. de accus. c. de manifesta 2. q. 1.* Et notorium non probari, sed allegari debet secundum *DD. in Rubr. h. t.* Item notorii allegatio probatio probata vocari solet, illudque attendere Iudex potest, quamvis non allegerit à parte, nec dubium redditur à negante. *c. super eo de test. verum hic duo discutienda veniunt per Mynsingerum Cent. 6. obs. 3.*

Primum est, an notorium Iudici probari debeat, quo ad hanc qualitatem, quod sit notorium: alterum, an factum ipsum subiectum notorio probandum sit. De priore communis opinio est processum valere non habita informatione de qualitate notorii, modò verum sit, notorium esse, & hoc postea constet. De posteriore pro regula haberi, quod notorium non indigeat probatione, licet allegari debeat. Quamvis enim ab onere probandi releveret, non tamen ab onere proponendi. *Glo. in Clem. Appellanti v. Iudicis. de appell. v. Myns. lo. cit.*

Quid verò si actor & reus aequaliter

 prober,

Probet, ita ut dubium ex animo iudicis non tollatur? Occurrit, novam inquisitionem institui posse ad tollendam ambiguitatem. Sed ipsa quoque si non præstet effectum, quid ager? Regula iuris est, quam explicavimus nuper. *Cum sunt partium iura obscura, reo favendum est potius, quam actori*, ubi Dynus, si reus & actor pariter probaverint de iure suo favendum est reo, quia debet absolvi à petitione actoris, cum iura partis utriusque sint obscura. Item si neuter, nec actor, nec reus aliquid probaverit, iura partium sunt obscura, & idèd favore reo, quia debet absolvi *Instit. de iur. d. s. Commodum. & C. de edendo. l. qui accusare.*

II. Probationum duo genera facit *Aristot. & Cicero*. Vnum artificialium, alterum inartificialium. Artificialis probatio confertur, quæ ex ipsa causa, argumentis & iudiciis sumitur. Inartificialis, quæ extra causam accipitur, vel à legibus vel à testibus, vel tabulis, vel confessione, vel iuramento, vel aliis similibus. *DD. in l. admonendi Tit. de iur. iur.* Inartificiales rursus dividuntur in ordinarias, seu regulares, & in extraordinarias, seu irregulares. Regulares, & quarum usus frequentior, sunt aspectus, monumenta, notoria confessio, iuramentum, præsumptio, fama, tortura, testes, instrumenta. Irregulares sunt indicia, revelationes, quæ serviunt torturæ, purgationes vulgares, & canonicæ, de quibus *infra Tit. xiv.*

Silvester V. Probatio, Canonistarum veterum phrasin secutus in tres species distinguit. *Prima* est evidentissima, per privilegia scilicet & instrumenta indubitata. *c. Pia, de except. in 6.* *Secunda* evi-

dens & clara, quæ fit per testes, aut facti evidentiam. *c. Tusa, de coh. cleric.* *Tertia* minus evidens, quæ fit per coniecturas, *c. Afferte, de præsumpt.* In specie autem sunt plures, inquit, 1. per aspectum. 2. per testes plures. 3. per instrumenta. 4. per confessionem. 5. per scripturam antiquorum librorum. 6. per violentiam præsumptionem. 7. per famam cum aliis præsumptionibus. 8. per iuramentum. In sequentibus versiculis novem continentur, nisi scripturam, & sculpturam coniungas.

Aspectus, sculptum, testium notoria, scriptum, iurans, confessus, præsumptio, fama, probabunt.

III. A Iurisperitis, & Canonistis, qui effectum, & vim probationum præcipue attendunt, dividitur Probatio in plenam, & semiplenam. Plena confertur, quæ tantam fidem facit, quanta ad defensionem causæ sufficit, ita ut secundum eam iudex litem decidere, & sententiam ferre possit nullo alio requisito. Et pro hac specie in Iure Canonico ut plurimum probatio accipitur: alias in generali significatione etiam præsumptionibus accommodatur. *Glo. in Clem. de elect. semiplena*, quæ etiam imperfecta, dicitur, per quam rerum gestarum fides aliqua iudici fit, nõ tanta tamen ut eam in definiendo sequi possit, aut debeat, quia ulterius aliquid expectatur; Nec omnium eadem vis & veritas, sed quarundam maior, aliarum minor. *v. V. V. sent. Comm. in Tit. de Probat.*

IV. Plenæ probationis sex species numerantur.

merantur. In prima testes collocantur. In secunda confessio rei, qua probatio-
ne nulla censetur evidentior, & firmitior.
In tertia oculorum inspectio, cui non
subesse falsum supponimus. In quar-
ta sunt instrumenta, non quælibet, sed
authentica, & à jure laudata. In quinta
iuramentum, cuius apud omnes gentes
magna semper religio fuit, & quod vio-
lare nefas. *c. in his dist. 11. sexta præsumptio-
nes* continet melioris notæ scilicet, de
quibus infra.

Ex his speciebus tres tantum agnoscit
Damhaud. in Praxi c. 49. Testes nimirum,
evidentiam facti, & propriam rei
confessionem. Violenta verò, *inquit,*
validaque præsumptio, fama, opinio,
fuga, idque genus alia nunquam ple-
nam probationem efficere possunt in
materia criminali ad condemnationem
quod ad criminis materiam omnes pro-
bationes oporteat esse clarissimos. *l.*
si aut cunctis C. de probat. verum reiiciatur
fama, opinio, fuga, & si vis, etiam præ-
sumptio violenta, cur instrumentis au-
theticis, cur iuramento fides, indubi-
tata negat? Certè rationem sufficientem
Damhaud. non facile adferet.

V. Semiplenæ probationis au-
ctore *Oldendorpio* quatuor species sunt.
Prima fit per unum testem *l. iurisiurandi C.*
de testibus. *Secunda* in causis civilibus ex
constanti famâ oritur unius testis de ve-
ritate deponentis testimonio confirma-
tam. *Glo. & DD. in c. veniens. de testib.* aliâs
inconstans fama non probat, sed tan-
tum coniecturam facit. *l. ult. de hered. in-
stit.* *Tertia* ex scripturis privatis dicitur,
vel ex comparatione literarum. Maio-
rem enim probationem simplex scriptu-

ra facere non potest, quæ cum tempore
mutat formam, & similitudinem. Quam
ob causam in æneis tabulis olim leges, &
fœdera scribebant. *Quarta* denique ex
præsumptionibus quæ indubitam fidem
non faciunt, contemnendæ tamē nō sunt.

Ex quibus confirmatur, quod *n. 3.* in-
sinuavi, non unius generis, & certitudi-
nis esse semiplenas probationes, sed ali-
as maioris, aliâs minoris. Quæ per unum
testem fit omni exceptione maiorem, &
per aliqua indicia, quæ tamen ad ple-
nam fidem non sufficiant, maior est illa,
quæ fit per unicum testem duntaxat.
Minores igitur censentur fama, iteræ
privatæ confessio extrajudicialis, quæ
fit extra litem ad æternam rei memori-
am, & simil. *Auth. m. sed etsi quis C. de testib.*
v. Vvesenbec. Tit. l. 22. tit. 3.

Notat verò *Barbosa in c. Sicut de probat.*
semiplenè probandi sive actori, sive reo
in supplementum deferri iusiurandum
posse: præterea modico defectu semi-
plenam probationem impediri, & si se-
miplena probatio elidatur per præsum-
ptionem, non sufficere, ut ob eam de-
feratur parti iuramentum quo supplea-
tur defectus. Denique idem dicendum,
si probans non loquatur verosimilia. *v.*
Berlich. Parte 1. Conclus. practicabil. Conclus.
26. Card. Lugo. disp. 37 sect. 12. n. 1. & seqq.
Melonium Tit. 46. n. 124.

Prædictum iuramentum à DD. sup-
pletivum, vel suppletorium, ac necessa-
rium appellatur, & deferri potest etiam
post conclusum in causa, dummodo sit
petitum ante conclusionem. *v. Marant.*
Par. 2. §. Nonus actus.